

»mentum pertinere videbatur Josephus ante promulgatam Legem
 »gratiae mortuus, pro cuius defensione occisi Martyres utilius pro-
 »ponebantur honorandi, ad excitamentum fidelium inter persecu-
 »tiones certantium.» Cessantibus vero istis causis, nec jam amplius
 existentibus coepit propagari et in dies magis ac magis explicari
 ac in propria sua claritate in caelo Ecclesiae lucere cultus S. Jose-
 phi, adeo ut Isidorus de Isolanis O. P. in Summa de do-
 nis S. Joseph (1) prelo data an. 1522 nostra praevidens tempora
 scripserit: «Suscitabit Dominus sanctum Joseph sibi ad honorem
 »nominis sui, *caput et patronum peculiarem imperii militantis Ec-*
 »*clesiae.* Ante quoque diem iudicii futurum est, ut omnes populi
 »cognoscant, venerentur et adorent nomen Domini, ac magna Dei
 »munera, quae Deus ipse in Sancto posuit Joseph, et latere pene
 »voluit longa per tempora... In Calendariis Sanctorum nomen de-
 »cantabitur Sancti Joseph, et jam non erit in caudam sed in caput.
 »Fiet enim de illo *festum praecipuum* et venerabile. Mandabit enim
 »Christi Vicarius in terris, Sancto suadente Spiritu, ut festum pa-
 »tris putativi Christi, Sponsi Reginae Mundi, hominis sanctissimi,
 »celebretur in omnibus finibus imperii militantis Ecclesiae. Quam-
 »obrem qui in caelis semper fuit supra, in terris non erit subter (2).»

SCHOLION.

De cultu Purissimi Cordis B. V. Mariae.

215. Thesis de cultu Cordis Jesu imperfecta relinqueretur si ni-
 hil diceremus de cultu immaculati Cordis B. V. Mariae. Numquam
 enim a Filio sejungenda est Mater. Ut ait enim S. Bernardus (4)
 «Opus est mediatore ad mediatorem Christum, nec alter nobis uti-
 »lior quam Maria.»

Dico: Cultus purissimi Cordis Mariae sanctus
 et utilissimus est.

I.^a Pars. Prob. 1.^o Approbatione Cardinalis de Vendo-
 me Parisiis anno 1668 ex auctoritate apostolica facta: «Nos...
 »apostolica auctoritate, qua fungimur in hac parte, laudamus, ap-
 »probamus et confirmamus hanc laudabilem et utilem erga san-
 »ctissimum Cor et gloriosissimum Nomen Virginis Mariae devo-
 »tionem.» Ex eo quod SS. Pontifices plurimi datis indulgentiis ap-
 probaverint usque ad Pium VI, qui anno 1799 dum Florentiae
 in custodia detinebatur, concessit aliquibus ecclesiis festum licet
 sine officio proprio et Missa propria. Pius VII variis decretis
 pluribus concessit ecclesiis.

(1) P. 3, c. 8.—(2) V. Bucceroni. Comment. de S. Josepho; Egger.
 Enchir. Teol. dogm. spec. nn. 332-337. Append. II, tract. IV. De Christo Re-
 demptore.—(3) Serm. de *duod. stellis*.

2.^o Ex voto primi Consultoris pro concedendo Festo Purissimi
 Cordis B. Mariae cum Officio et Missa propriis, cuius haec est sen-
 tentia (1):... «*de sanctissimo et immaculato Corde Mariae* vero specia-
 »tim monet, ejus cultum post iteratas et graves ea de re habitas
 »disputationes, a Sede Apostolica probatum esse, quod *hoc titu-*
 »*lo Cordis immensa ejus caritas erga Deum et effusus amor ho-*
 »*minum designetur.* Quum igitur festa aliorum Sanctorum agantur
 »cum Officio et Missa propriis ob eminentem qua excellunt sancti-
 »tatem, a fortiori celebrandum solemniter est *festum SS. Amoris*
 »*almae Deigenitricis,* maxime postquam Sedes Apostolica jam inde
 »a temporibus Benedicti PP. XIV, concessit *festum Maternita-*
 »*tis B. M. V.* cum Officio et Missa propriis, quae Maternitas in cari-
 »tate fundatur. Accedit et alia consideratio ex S. Bernardo de-
 »prompta: Nobis, inquit S. Doctor, opus est mediatore apud media-
 »torem, Christum videlicet; neque ullus aptior magisque efficax
 »quam Maria; quo fit, ut securum habeamus accessum ad Deum
 »Patrem, cui Filius latus et vulnera, Mater Filio pectus et ubera pro
 »nobis exhibet et ostendit. Festum amabilissimi et amantissimi
 »Cordis Matris Nostrae id efficiet ut spem certissimam in ea repositam
 »habentes, ejus apud Deum patrocinia experiamur. Ipsa est Re-
 »gina adstans a dextris Dei in vestitu deaurato et circumamicta va-
 »rietate; nihil omnino est quod ab eo impetrare non valeat; ipsa est
 »tam praesens catholicae Ecclesiae tutela et spes fidissima omnium
 »nostrum. Ipsi accommodantur verba Scripturae: *In me gratia*
 »*omnis viae et veritatis; in me omnis spes vitae et virtutis* (2).»

3.^o Ex revelationibus Stae. Gertrudis, quae a Christo didicit
 Cor Mariae venerari (3) «Videbatur ille blandus ac floridus puellus
 »Jesus, aeterni Patris Filius unicus, Cor Matris Virginis cum
 »summa voluptate sugere. Quo dabatur intelligi, quod... ejus divi-
 »nitas suavissime in hoc innocentissimo et amantissimo Corde
 »conquiescebat eoque frui delectabatur.» Ex visionibus Stae. Me-
 ctildis ibid. allatis.

4.^o Ex prodigiis quibus Deus hunc cultum confirmare voluit, ut
 testatur A. R. P. N. J. Roothan litteris encyclicis datis 24 Junii
 1848. «Nec minus Societas, quae sese totam esse Mariae inde a
 »Parente Ignatio professa semper est, uti Jesu Cordis Sanctissimi
 »ita et cultum immaculati Mariae Cordis promovere numquam
 »destitit. Addite PP. FF. CC. quae hisce postremis annis Deus non
 »obscura dedit suae voluntatis indicia, tam multis editis prodigiis,
 »per institutam Parisiis sodalitatem sub invocatione Purissimi
 »Cordis Mariae pro conversione peccatorum, quae brevi tempore
 »fructus salutis per universum orbem tam amplos tamque miran-
 »dos protulit, ut nihil simile in annalibus Ecclesiae per omnia
 »retro saecula reperiatur. Addite quod nos ipsi Romae anno 1837
 »experimento didicimus... scilicet in lue asiatica Romae tum fu-
 »rente, cum tercentum eoque amplius Socii in Urbe essemus, quo-
 »rum plerique... inter aegros et moribundos interque etiam cada-

(1) Nilles De Ratione Festorum SS. Cordis Jesu et P. Cordis Ma-
 riae lib. II, c. 4.—(2) Eccli. XXIV, 25.—(3) L. 4, revel. c. 3.

»vera infecta versarentur diu noctuque, voto nuncupato in hujus
 »Purissimi Cordis honorem, patrocinium potentissimum ita sensi-
 »mus, ut non modo neminem amissum lugeremus, sed ne tactum
 »quidem morbo habuerimus vel unum e Sociis, praeter omnem sane
 »expectationem, ac secus omnino quam alibi acciderat; ut nihil
 »dicam de potiori etiam Matris optima favore, quae tales, inter
 »illa pericula, timidis etiam maxime ac trepidantibus Sociis animos
 »indidit, ut nemo fuerit, qui non libenter lue tactorum auxilio et
 »solatio sese impenderet ac superimpenderet, totius Urbis non mi-
 »nore admiratione quam aedificatione gratique animi significatione
 »solemni.»

5.º Ex Conc. provinc. ut dictum est pro devotione SSmi. Cordis Jesu.

6.º Ratione sicut de Corde Jesu, proportionaliter de Corde Mariae probatur; est enim adorabile cultu hyperduliae et adsunt rationes ut adoretur. Est enim Cor Mariae imago suorum affectuum et speculum excellentiarum ejus quas exponit S. Bernardinus (1) et ait: «Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis, sanctissimo ore prolato, efferam? quibus non sufficit lingua omnium hominum et etiam Angelorum? Quis autem inter »puros homines melior homo... quam illa, quae meruit effici Mater Dei, quae in Corde et in utero suo ipsum Deum hospitata est?» P. Pinamonti S. J. comes P. Segneri, in libro scripto ad hunc cultum propagandum omnes laudes SS. PP. et DD. ad inflammandos homines in amorem Cordis B. Virginis ad septem capita reduxit: 1. Cor Mariae speculum sine macula. 2. Cor Mariae dignum Matre Dei. 3. Cor Mariae abyssus gratiae. 4. Cor Mariae expressum a Corde Christi. 5. Cor Mariae sphaera ignis sancti amoris. 6. Cor Mariae dolorum diluvio submersum. 7. Cor Mariae locus deliciarum pro Corde Dei.

Corollarium. Ex documentis allatis in hac parte dicendum est: Objectum hujus cultus esse immaculatum Cor B. V. M. charitate in Deum et homines ardens.

216. II.ª Pars. Prob. 1.º Ex orat. offic. et Missae in quibus cum Ecclesia postulatur: «ut ejusdem Purissimi Cordis festivitatem »devota mente recolentes, secundum Cor tuum (Christi) vivere »valeamus.»

2.º Ex voto alterius consultoris S. R. C. occasione supra citata: «maxime quod aetate nostra Petri navis undequaque et raro exem- »plo saevis tempestatum fluctibus jactetur, ac proinde nunc, si un- »quam ante, validissimum Btae. M. Virginis patrocinium sit im- »plorandum (2).»

3.º Speciatim autem haec devotio, ut ex suis auctoribus et propagatoribus et ex titulo congregationis Parisiis institutae imposito, est utilissima ad conversionem peccatorum, quorum Bta. Virgo refugium est, obtinendam.

Intuere, o homo, dicam pro coronide cum sancto Bernardo (3) «consilium Dei, agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis...

(1) Serm. de *Visitatione*. — (2) Nilles. loc. cit. — (3) Serm. De *Nativit.* V. M.

»Redempturus (Deus) humanum genus, pretium universum contu-
 »lit in Mariam...» Et in sermone de 12 stellis. «Amplectamur Mariae
 »vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provol-
 »vamar. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis:
 »potens est enim.» Erigatur ergo spes nostra, et minime dubitemus
 de omnibus hostibus victoriam reportaturos si SSmis. Cordibus Jesu et Mariae corda nostra semper unita maneant.

THESIS XL.

Christi imaginibus et Sanctorum, cultus pie tribui potest.

217. **Nota:** Cultus SS. imaginum potest considerari in se, seu quoad jus; et attentis omnibus circumstantiis, seu de facto. Si jus perpendatur, thesis est dogmatica et de fide: si vero factum, est disciplinarius, certa tamen et catholica.

Prob. 1.º Tridentina Syn. in Sess. 25 decrevit: «Imagines »porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in tem- »plis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem »et venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua »in iis divinitas, vel virtus... sed quoniam honos, qui eis exhibetur, »refertur ad prototypa.» Synod. gen. VII eadem definiverat do- »ctrinam: «Definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figu- »ram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas ima- »gines proponendas... in sanctis Dei Ecclesiis, et sacris vasibus et »vestibus, et in parietibus et tabulis, domibus et viis: tam videlicet »imaginem Domini Dei et Salvatoris Jesu Christi, quam intemera- »tae dominae nostrae Sanctae Dei Genitricis, honorabiliumque An- »gelorum et omnium Sanctorum... Qui enim has contemplantur, »alacrius, eriguntur ad primitivorum earum memoriam, ad oscu- »lum et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad »veram latriam impertiendam.»

2.º S. Basilius (1): «Suspicio autem et sanctos apostolos, »prophetas et martyres; et ad supplicationem, quae fit Deo, hos »invoco, ut per eos, id est, interventionem eorum, propitius mihi »sit misericors Deus... Unde et characteres imaginum eorum ho- »noro et osculor eximie, cum haec traditae sint a sanctis apostolis, »nec sint prohibitae, imo in omnibus ecclesiis nostris depictae »sint.» Eusebius (2) asserit, multas in templis a Constantino erectis extitisse imagines ex auro et argento. Lactantius re- fert imaginem Christi crucifixi in templis fuisse positam. In locis subterraneis (*Catacumbas*) visuntur imagines Christi, B. Virginis

(1) Ep. ad Julian. apostat. — (2) L. 3 et 4 De vit. *Constantini*.

et SS. Apostolorum, ea forma et ornatu circum altaria, in quibus mysteria celebrabantur, depictae, ut aperte eluceat priscorum christianorum erga illas reverentia.

3.^o Relatio omnis intrinsece constituitur terminis ad quos respicit: ergo et eorumdem nobilitatur excellentia. Sed imagines Christi, B. Virginis et Sanctorum hosce sacros referunt typos; eorum ergo participant excellentiam, ideoque respective coli possunt. Confr. S. Ambrosius (1), «si viderimus pauperem, illum ad »cujus similitudinem factus est, honoremus in paupere, de quo ait: »*dedistis mihi manducare...* Qui enim coronat imaginem imperatoris, utique illum coronat, cujus imaginem coronavit; et qui »statuam contempserit imperatoris, imperatori utique cujus imaginem consputaverit, fecisse videtur injuriam.»

4.^o Adhibere possumus argumentum, uti dicitur, ad hominem. Haeretici etiam eorum, quos vel diligunt vel suspiciunt, imagines depingunt vel incidunt statuas, ut parentum, filiorum, principum, tribunorum, etc.; easque affectu amoris conspiciunt, honore circumdant. Si ergo ad domesticos et civiles honores assumi possunt imagines, cur impietas coeca in solas Christi, B. V. Mariae, ac Sanctorum imagines furit et insanit?

218. Obj. 1.^o Scriptura testatur Deum prohibere imagines (2) *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.*

Resp. Dist. seu expono sensum: *Non facies tibi...* ut adores idolatriae; conc. *Non facies...* absolute: nego. Etenim jussit Deus ut in ipsa arca duae Cherubinorum imagines fierent, et Salomon in templo multas sculpsit imagines. Imo ibidem intelligentia illius praecepti declaratur: ratio enim qua prohibetur sculptile fieri est: *Ego sum Dominus Deus tuus: non habebis deos alienos coram me.*

Obj. 2.^o S. Irenaeus et alii PP. reprehendunt quorundam errorem, qui imaginem Christi colebant. Ergo saltem in primitiva Ecclesia erat illicitus imaginum cultus.

Resp. Dist. *antec.* Reprehendunt quia imaginem Christi colebant gentili modo, inter alias philosophorum imagines, et veluti idolo cuidam sacrificia eidem offerentes; conc. Quia colerent simpliciter relativo cultu, uti fit in Ecclesia; nego.

Obj. 3.^o S. Gregorius M. (3), laudat Serenum, ep. Massiliensem, quod imagines adorare prohiberet: «Et quidem quia eas »adorare vetuisses, omnino laudavimus: fregisse vero reprehendimus.» Et deinde ait. «Si quis imagines facere voluerit, minime »prohibe: adorari vero imagines, modis omnibus veta.»

(1) In Ps. CXVIII, serm. 10, n. 25.—(2) Exod. XX. 4.—(3) Epist. L. 9, ep. 13 (106).

Resp. Dist. seu explico: S. Gregorius M. loquitur de adoratione absoluta, et quidem latriae; quod patet ex contextu: «Manu factum adorare non licet; quoniam scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies*» conc. De adoratione late sumpta et duliae; neg. Episcopus ille inter gentes barbaras versabatur, quibus quemadmodum utiles sunt imagines ad eorum instruendas mentes, ita quoque in periculo versantur easdem incompetenter adorandi, ut S. Pontifex ibidem dicit: «Magnopere a te, »qui inter gentes habitas, attendi debuerat; ne dum recto zelo incaute succenderis, ferocibus animis scandalum generares... Atque »indica, quod non tibi ipsa visio historiae, quae pictura teste pandebatur, displicuerit: sed illa adoratio, quae picturis fuerat, »*competenter* exhibita.»

Eadem de causa, in Ecclesiae exordiis, cum a gentilica superstitione exhibant gentes, majus aderat ejusdem superstitionis periculum, ideoque imaginum Sanctarum usus, ex prudenti Ecclesiae disciplina, paulatim fuit inductus, nec statim evulgatus.

Obj. 4.^o Conc. Francofordiense damnavit Conc. Gen. VII, eo quod decrevisset, adversus Iconomachos, cultum SS. Imaginibus exhiberi.

Resp. 1.^o Cum Suario (1), Concilium non fuisse quoad hanc partem approbatum. nam idem Pontifex Adrianus I, qui approbavit VII Synodum, approbavit Francofordiense, jam vero absurdissimum esset supponere sibi contradixisse.

Resp. 2.^o Licet aliqui negent *antecedens* propter suspicionem corruptionis historiae, verior videtur solutio P. Bellarmini (2) distinguentis *antecedens*: damnavit errore facti; conc. Errore juris; neg. Nam ex transversa interpretatione graeci sermonis putarunt Episcopi Francofordienses, cultum latriae erga Imagines a Nicaenis PP. fuisse praescriptum. Acta enim Synodi VII missa ad Concil. Francofordiense ut approbarentur quoad confessionem Constantini Constantiae episcopi ita erant translata: «Suscipio et amplector honorabiles, sanctas et venerandas imagines secundum »servitium adorationis quam substantiali et vivificae Trinitati »emitto, etc.» in graeco autem post verba venerandas imagines habetur: «ac latriae adorationem soli supersubstantiali ac vivificae »Trinitati defero (3).»

Tandem observa. a) Concil. V Constantinopolitanum fuisse conciliabulum. b) Concil. VI Constantinop. III, admissa non concessa auctoritate cononum Trullanorum prohibuisse

(1) De Incarn. D. 54, sec. 3.—(2) De Eccles. triumphante l. 2, c. 14.—(3) Vid. Platelli. n. 622 de Incarn.

imagines obscoenas, non sanctas et pias. c) Opera S. Epiphani qui dicitur se scindisse aliquam imaginem, teste Damasceno (Orat. I de *imaginibus*) fuisse ab haereticis corrupta; et adhuc facto scissionis imaginis admissio non concessio, nescimus quam imaginem et propter quid eam sciderit, cum aliter certe sciamus in Ecclesia ipsius S. Epiphani multas fuisse imagines.

SCHOLION I.

De natura cultus, qui tribuitur SS. imaginibus.

219. Dico: Cultus Sanctae Crucis, Imaginum J. C., B. V. Mariae et Sanctorum, ac sacrarum Reliquiarum est relativus; ita tamen ut tam actus externus quam internus in ipsas imagines et reliquias terminetur.

Nota: ad pleniorum relativi cultus intellectum statuimus hoc dictum; contendunt enim nonnulli theologi, quod actus internus cultus ad solum prototypum terminari debeat, licet concedant externum cultum ad ipsas imagines et reliquias referri.

I.^a Pars intelligi satis potest ex praecedentibus. Etenim talis est cultus, quale objectum ejus, scilicet, excellentia rei quae colitur. Sed excellentia Crucis, Imaginum et Reliquiarum est relativa; ergo. *Min.* patet: nam eatenus Crux est pretiosa, quatenus est Christi; et imagines ideo sanctae sunt, quia sancta referunt prototypa; reliquiae autem venerantur quia ad talem referuntur personam.

II.^a Pars. prob. Sacrae Cruces, Reliquiae, Imagines, vere et simpliciter coli debent. Atqui nisi actus etiam internus terminaretur ad illas non colerentur vere et simpliciter: ergo. *Maj.* est de fide, ex Nicaen. Syn. II, et ex Trident. sess. 25 ut vidimus supra. *Min.* autem aperte patet si prae oculis habeantur quae supra praenotavimus de adoratione in genere. Nam si non adsit iudicium de excellentia et sanctitate Crucis, Reliquiae, Imaginis, cultus externus, id est, testificatio externa excellentiae, erit mendacium; item, si non habeas voluntatem profitendi, seu testificandi ejusmodi excellentiam, actus externus ad Imaginem exhibitus hypocrisis erit ac ludus.

Dices: Reliquia, Imago, sunt quid materiale et insensibile: ergo nullam habent excellentiam.

Resp. Dist. *Conseq.* Nullam habent excellentiam relativam; nego: absolutam, concedo.

220. Cultus relativus duplici modo exerceri potest: 1) ita ut imago, ex. gr. et exemplar, veluti unum objectum totale quod considerentur: 2) ita ut imago sit objectum quod, exemplar vero objectum formale quo.

Primum patet; nulla enim est difficultas in eo quod simul excogitemus duo objecta, simulque veneremur. Hic autem modus cultus relativi est perfectissimus et utilior. Secundus modus patet in actibus fidei, charitatis, etc. Vere enim fides terminatur ad singu-

las veritates, et charitas ad singulas personas, licet objectum formale quo sit motivum actuum (1).

SCHOLION II.

An dulia specie distinguatur a latria.

221. Dico: Probabilius videtur habitum duliae esse distinctum specie ab habitu latriae seu religionis.

Ratio est: quia jus divinum propter quod Deus a nobis est colendus et adorandus, excellentius est et altioris ordinis, quam omnne creaturae: nequeunt ergo eadem virtute attingi.

Dices: possumus eadem charitate Deum et nos et proximum amare: Ergo et eadem virtute religionis Deum et alios colere.

Resp. Neg. parit. Nam charitas per amorem respicit objectum sub ratione quasi absoluta; latria autem per adorationem sub respectiva ratione per comparisonem ad honorantem. Unde fit religionem respicere Deum non prout Deus potest cum creatura aliquam convenientiam habere, sed prout singulariter illam excedit; at vero amor non respicit singulari modo hunc excessum, sed bonitatem et communicationem ejus. Et confirmatur: nam licet eadem charitate diligamus nos ipsos, parentes et alios proximos; tamen in ordine ad honorem exhibendum diversae sunt virtutes, pietatis ad parentes, observantiae ad principes, etc.

Dicuntur vero hi actus religiosi, quia vel a religione imperantur ad honorem Dei, vel late quatenus ad ordinem supernaturalem et divinum pertinent, non quomodocumque, sed propter magnam conjunctionem quam habent cum religione; nam hic cultus, a) positus est in religiosis actionibus (v. g. erectio templorum in Sanctorum memoriam) et ad pietatem pertinentibus: b) ad spirituale bonum animae valde confert, tum per se, quia devotionem excitat, et auget in nobis circa res sacras; tum etiam beneficia divina per Sanctorum intercessionem nobis impetrando: c) hic cultus tandem in pura et perfecta sanctitate fundatur, sanctitas vero religioni proxima est.

ARTICULUS III.

De Simonia.

De vitiis religioni oppositis tractat D. Thomas in 2, 2, Q. 92, ad 100; hic aliqua tantum breviter de simonia dicemus, nam quae de aliis vitiis dicenda erant in disquisitione de Angelis exposita sunt.

(1) Vid. Lug. De Incarn. D. 36. n. 3.